

2123

C O D I C E S

2124

*Pauperum amator clericorum magnus promotor
Pater pupillorum egentium et uiduarum.*

Mense *Augusto* ad diem 8. minio notatur: *Aduentus sanguinis christi*. Sacrum ejusmodi *Κειμηλιον*, qualia in pluribus Ecclesiis exhibebantur, *Strigoniensi* etiam illatum memorari censeo, quo vero tempore, consultis variis monumentis non reperi, quamvis etiam in Breviario 1484. impresso idem Festum occurrat. *Aduentum S. Mauricii* in Calendario cuidam Pfalterio praefixo notavi T. praeced. Cod. XXXII. (950.) col. 75. In margine ejusdem mensis notavit subpar manus: *Obiit R. p. et d. dominus Georius de Hochenloch Episcopus patav. et etiam Strigon. 1423. id, quod ad diem 11. refert Nic. Schmitth in Archiepp. Strigon. P. I. p. 238. ad diem vero 8. Georg. Pray in Hierarch. Hung. P. I. p. 173. secutus Schritovinum et Catalogos Epp. Passav. Breviarium porro ipsum ita coordinatum est, ut Psalmodiae de Tempore succedant: Hymnarium, Officium pro Mortuis, de B. V. Maria, Lektionarium de Tempore, et de Sanctis, primum speciatim, dein in communi. Atque hic in Officio de una virgine Codex abrumpitur. Officia SS. Indigetum *Hungariae* suis locis inserta sunt.*

DCCCLXXXI.

R. 24 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. nunc. 301. f. per duas columnas luculente et ele-

ganter exaratus, picturatusque, sed temporum injuria initio et fine mulctatus, quin et membranis e medio evulsis Psalmodiam seu *Breviarium Archidioeceseos Strigoniensis* in *Hungaria* complectitur. Praeit Officium dictum de *Tempore*, ubi fol. 20. in *Litaniis* invocantur Sancti Indigetes Regni, oratur pro Archiepiscopo, Rege et Regina cum Liberis, item: *Ut terram istam, et civitatem sanctam ierusalem ab infestatione et potestate paganorum custodire digneris*. Unde liquet, precem hanc eo tempore conceptam fuisse, quo *Palaeestina* a Christianis tenebatur. Succedit Officium pro *Defunctis*, de B. V. Maria, *Hymnarium*. Fol. 188. incipit. *Commune de Sanctis*, ubi rursus Officia de SS. *Hungariae* Patronis cum suis *Lectionibus*, sed a Festo *Briccii* Ep. die 13. Nov. folia excidere, uno solo superstite, quod Syllabum Sanctorum a *Decembri* ad *Junium* exhibet. In *Hispanorum* militum manus incidisse *Codicem*, argumento est, quod ad oram inferiorem fol. 217. p. 2. legitur. *En el castillo de Strigonia al VII. dias del mes de Julio de mil y quinientos y setes annos, el Sennor Don Luys dela Cueva coronel dela Gente espannola del Reyno de Vngria.*

DCCC-